



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt VIII. Aquas mortalibus nocentes, esse Dei justissimè punientis
instrumenta, ac sæpe etiam velut iudicia, quibus mali à bonis
discriminantur: sed cum iudicio, & non sine delectu agnoscenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

XI.
Ferrar. 10.
Martij.
S. Greg. lib. 3.
c. 10, dialog.

discerent ad diuinum confugere auxiliatorem, neque Diuorum patrocina aspernarentur.

Similem in aquis potentiam, Attala Abbas, apud Ferrarium, ostendit. Similem de Sabino Placentinorum Episcopo testatam, reddit D. Gregorius. *Ei enim, dum die quadam, suus diaconus nuntiasset, quod cursus sui Padus aluenim egressus Ecclesie agros occupasset, rotasq; illic loca nutriendis seminibus profutura, aqua eiusdem fluminis teneret, venerabilis vir a Sabinus Episcopus respondit, dicens: Vade, & dic eis; Mandat tibi Episcopus, vt te compescas, & ad proprium aluenim redeas. Quod Diaconus eius audiens, despexit, & irrisit. Tunc vir Dei accersito Notario dictauit, dicens: Sabinus Domini IESV Christi seruus commentorium Pado: Precipio tibi, in nomine IESV Christi Domini nostri, vt de alueo tuo, in locis istis, ulterius non exeas, nec terras Ecclesie ledere presumas. Atq; eidem Notario subiungit, dicens: Vade, hoc scribe, & in aquam eiusdem fluminis projice. Quo facto, sancti viri preceptum suscipiens, statim se a terris Ecclesie fluminis aqua compescuit, atq; ad proprium aluenim reuersa, exire ulterius in loca eadem non presumpsit. Qua in re Petre, quid aliud, quam inobedientium hominum duritia confunditur, quando in virtute IESV, & elementum irrationabile sancti viri preceptis obediuit? Cur non obediret quoque hoc elementum ipsi DEO, inobedientibus irascenti, atque aquas, de alubis suis in eos, agminis instar, emittenti? Punit iuste flammis, cur inique plectat vudis? cum sit Dominus vtriusque elementi.*

C A P V T VIII.

Aquas mortalibus nocentes, esse Dei iustissime punientis instrumenta; ac sepe etiam velut iudicia, quibus mali à bonis discriminantur; sed cum iudicio, & non sine delectu agnoscenda.

Inc ad tertiam querelam responsio datur, quæ duabus prioribus suapte natura cohæret. Quippe, si aquæ sunt, quæ possunt sanitatem lædere; si diluuiâ, quæ valent in damna hominum excurrere; procliuè est cogitare, & illas reipsa, & ista nocere; enimuero, etsi, metu ipso, grauius affligant humanam sollicitudinem, tamen insuper etiam & funera facere,

facere, atque alijs extremis malis terræ incolas mactare: & eos, qui ad naues confugiunt, allidere, scopulisque inferre perituros. Neque enim *sera lata bonisq; labores*, & iumenta duntaxat dilunijs, sed etiam tota ædificia, & ipsa denique procellis nauigia fatigantur, & fatiscunt. Tum si quidam aquam & fluctus ratibus vincunt, non vincunt in ediam.

Maxima pars unda rapitur: quibus unda pepercit,

Illos longa domant inopi ieiunia victu.

Audiui sæpe disputantes, plúsne aqua sæuiat dilunijs exundans, an flamma incendijs iuualescens? Aiunt, qui oculis & incendijs, & diluuijs æstimârunt, aquarum vim esse longè violentiorem; neque esse artem, industriam, aut laborem vllum, qui possit torrentis furorem repagulis coërcere. Ignem aqua domat, aut refrænât. Aquam ignis nullus exsiccat inundantem. Si flamma in ædes & vrbes dominatur, patet exitus in plateas, fuga in campos; si flumina se non continent ripis, fit terra ipsa, siue intra, siue extra muros.

Pars maris, & latus subitarum campus aquarum.

Quanti tunc seaum gemitus, quantus iuuenum ploratus, quantus virorum clamor, quantus feminarum existit vlulatus? Hæ voces sunt accusationes; & quot lamenta, totidem audiuntur argumenta. Merguntur homines, merguntur naues; illorum & istarum exitium, apud insipientes, est diuinæ bonitatis naufragium; nam, quia id malè factum censent, aiunt, factum, quod Deus imperauit.

Si quis igitur scire cupit, cur Deus istarum rerum sit author? respondeo in primis potiùs peccatorem, quàm DEVM harum esse rerum authorem. Nam indidem pœnæ, vnde culpæ est origo. Rectè igitur dici potest pœnæ author, qui est author culpæ. Non enim Deus puniret, si homo non peccaret. Quoties itaque, in pœnam, inundationes fluminum, eluiones marium, aut imbrium, cataclismi contingunt, non Deus iudex, sed homo reus est accusandus, qui diuinæ iræ iustitiam in caput suum pronocauit. Quid enim? an ignis non noceat nocenti? *Vindex est orbis iustorum*, & non sit vindex Conditoris? quem iam dudum *negantes nosse impij, per fortitudinem brachij illius, flagellati sunt: nouis aquis, & gran-*

ad 2. dinibus.

Ouid. lib. 2.
Metam.

II.

Sapi. 16: 16.

Bonfinius.
lib. 7. Dec. 2.
Simile quid
narrat AE-
mil. lib. 5. de
Dargano.

diuibus, & pluuijs persecutionem passi. Videntur impij aquis, contra DEI milites, & non vtatur aquis DEVS, pro suis militibus, contra impios? Cùm Andreas Vngariæ rex, & Christianæ militiæ, in Palestina, imperator, expugnatâ Damiatâ, ad Nilum, vrbe, Cayrum & Babylonem, quo se Soldanus receperat, obsideret; Suldanus Melchechelchemel Nilum, sub Babylone & Cayro, altioribus solito ripis coërcuit; & cùm paucis post diebus ille, opinione citius, vehementer intumisset, extemplo defossis vtrinque ripis, inundationem amnis in hostium castra deriuauit. Effunditur, diluuij more, fluuius, & altiùs altitudine cubiti cuncta superat; ex quo intolerabile Christianis detrimentum illatum fuit. Siccine nōrunt homines vti aquis in DEI seruos, volūtque, vt aquæ à se faciant, & DEVS non submergat aquis hostes? Enimuerò fecit id strenuè, fecit cum ingenti virtutis suæ autoritate.

III.
Genes. 7.

Hac de caussa, generali illo cataclysmo, totus mundus, præter octo homines, est obrutus. Tunc enim *rupti sunt omnes fontus abyssi magna, & cataracta cali aperta sunt, & facta est pluuija super terram, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus,* & sensim ita in immensum excreuit aquarum multitudo, vt, quia Oceanus non suffecerat, ad tot scelerum sordes abluendas; illis temporibus, vis vndarum tandem culmina summorum montium, quindecim cubitis excederet. Nimirum multis aquis opus erat, ad abluendam tantam multitudinem sceditatēque flagitiorum. Quæ vtinam penitus, & cum stirpe abluta esset. Propagati sunt enim, post diluuium quoque, non homines tantum, sed etiam peccatores, qui, cum peccatis repullulârunt. Cur conqueritur mundus, si, quod

Gen. 6. 5.

meruit, patitur? Meruisse diuinis tabulis probatur. Nam *videns Deus, quod multa malitia esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intentata esset ad malum, omni tempore, penituit eum, quod hominem fecisset, in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus. Delebo, inquit, hominem, quem creavi, à facie terre. Noë verò inuenit gratiam, coram Domino.*

Judich. in oc-
cid. hist. lib. 6.

Hinc in Arca seruatus est. Quod neq; Ethnicos latuit. Nam, vt taceam, quod de Deucalione Poëtæ fabulantur, in Occidentali historia, legimus, regem Nicaragua interrogasse Christianos illuc primùm appulso, *Num haberent notitiam alicuius generalis diluuij?* &c., *An simile quid adhuc esset expectandum?* Hinc verè Lactantius agens

agens de scriptoribus Ethnicis: *Factum esse diluuium ad perdendam, tollendamq; ex orbe malitiam, inter omnes constat.* Multa homines corporum vitia solent aquis curare; an non aquis Deus curet vitia animorum? Curat enim, dum castigat. Quippe vnus supplicium, alterius est exemplum. Enimvero etiam diluuium illud plus fuit, quam supplicium & exemplum, quia remedium quoq; nonnullis fuit, vt D. Hilario videtur. Neq; omnes diluuiio submersos æternum perijsse, piè creditur, & D. Petro convenienter, de Christo ita loquenti: *In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam, in diebus Noë.* Licet enim riserint Noë pœnitentiæ opera, prædicantem increduli, & mille confixerint sarcasmis, nullum diluuium futurum putantes; credibile tamen est, tandem ipsius rei prædictæ præsentæ, & ante oculos versante periculo, multos commonitos, ad seriam pœnitentiam conuersos esse, & de scopulo lachrymas antè, in assurgentes aquas profudisse, quàm aquam ipsi haurirèt, & ab aqua haurirètur. *Es lehret einer schon schwimmen / wañ ihm das Wasser in das Maul geht.* Adeò, etiam per aquas, velut inter aurum & sil, bonos à malis, pœnitentes ab impœnitentibus discriminauit mundi Gubernator.

Quod etiam postea euenit, quando, Israelitis in littus egressis, serui Dei incolumes euaserunt; exercitus autem Ægyptiorum omnis, cum quadrigis & caballis suis, in Erythræo mari, relabentibus aquarum cumulis inuolutus obrutusq; est, socio exilij & a chore Pharaone. Nimirum grande pondus est impietas, vsque in Tartari ima, & ad barathrum vltimum deprimat præuaricatores. Hinc Ægyptij *submersi sunt, quasi plumbum, in aquis vehementibus:* Israëlita autem inter fluctus, tanquam per muros solidissimè stantes, sicci, indemnesq; transierunt. Ante hanc vltimam & capitalem Ægyptiorum cladem, multæ monitiones diuinæ præcesserunt, inter quas etiam plagæ extiterè, quarum prima fuit illa aquarum in sanguinem conuersio. Siquidem Moyses *eleuans virgam, percussit aquam fluminis, coram Pharaone, & seruis suis: quæ versa est in sanguinem.* Multis de causis hæc plaga fuit atrox. 1. Quia omnes Ægypti aquæ, vbicunq; demum extiterint, sunt corruptæ, atq; in sanguinem commutatæ, qui velut è vulnere diuinæ percussiois effluxit.

c. 5. Lactanc^o
lib. 2. cap. 10.

S. Hilari. in
Psalm. 118.
1. Petro 3.

IV.
Exod. 14.

Exod. 15. 10.

Exod. 15. 30.

effluxit. Sic enim enucleatè mandauerat DEVS. *Extende manum tuam super aquas Egypti, & super fluuios eorum, & riuos, ac paludes & omnes lacus aquarum, ut vertantur in sanguinem, tam in ligneis vasibus, quam in saxeis.* 2. Quia etiam terra Gessen, etsi Israëlitis pueros latice fuderit, Ægyptijs tamen luridum sanguinem propinauit. Nam *fuit sanguis in tota terra Egypti.* Et quidem septem diebus sanguinem, loco aquarum, repperunt. *Impleti sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluum.* 3. Quia tristes inde confecti sunt effectus. Ut enim sanguis, extra corpus animalis, diu, sine corruptione, non permanet; ita illico, fontes, & lacus, & fluuii computruerunt. 4. Quia ex hac putredine pisces, qui erant in flumine, mortui sunt. 5. Quia aquæ ad potum ineptæ ac perniciosæ factæ, ingenti Ægyptios siti cruciauerunt. 6. E tot piscibus mortuis fœtor ingens extitit, qui vnà cum tabo sanguinis Mephitim Acheronticam expirauit. Vnde aër infectus intolerabili miseros inedia affecit. 7. Sordibus quoque omnia fœdata sunt, nihil enim inquinatis aquis, aut putrefacto sanguine mundari, sed inquinari duntaxat poterat. 8. Ad sitim fames accessit. Ait enim Scriptura, mortuos esse omnes pisces, qui erant in aquis, ob putredinem scilicet aquarum, & sanguinis partim crassitiem, partim caliditatem. Piscium autem vsus erat vulgatissimus, & communissimus cibus Ægyptiorum, tum propter copiam, tum propter pretij vilitatem; ob quam & ipsi Hebræi, in solitudine dicebant: *Recordamur piscium, quos, in Egypto, comedebamus gratis.* 9. Ne sibi enecarentur, *Foderunt omnes Egypti, per circuitum fluminis, aquam, ut biberent: non enim poterant bibere de aqua fluminis.* Itaque fodiendo se maccrarunt. Et pro quàm dulci potu? *Aqua*, inquit Thostatus, *quam Egypti fodiebant circa flumen, non erat vera aqua, sed erat sanguis, qui de sanguine fluminis promanans, subterraneo meatu, per arenas colabatur, & attenuabatur, & purgabatur; aliquantulum perdens sanguinis crassitiem & colorem, & saporem. Solet enim color, & sapor aquarum mutari, excolatione, & propter terras, quas pertransseunt; ut aqua saluginosa, vel amara perdit saporem illum, transiens per aliam terram, vel in toto, vel in parte. Idem manifestum fit frequentibus experimentis, in aqua marina, qua salsa est; infusa enim in vasa quadam cerea, exuons salcedinem fit dulcis ac potabilis, cera videlicet salcedinem ebibente* atq.

Num. 11.

Exod. 7. 24.

Thostat. in

c. 7. Exodi.

arg. confumente. Illum igitur sanguinem percolatum, & ad similitudinem aqua per ductum, ob idq. tolerabilem in potu, bibebant Aegyptij.

Quam autem suavis, aut sanus fuerit ille potus, facile est diuinare. Haud utique paulo suavior, quam Charontis nectar, quod ille è Stygia haurit palude. Legimus, & audiuius sæpe, fœdissima quæque, sitis necessitate adactos homines, bibisse; aut fame urgente abominanda comedisse. Quod & Scriptura testatur, in qua ille ait: *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc, præ angustia, cibi mei sunt.* scilicet anima esurienti, etiam amara dulcia videntur. Quare percolatæ licet, tamen sanguinæ aquæ, etiam Aegyptijs necessitate quadam sapere debuerunt; neq. enim verè sapere potuerunt. Rectè igitur huius plagæ acerbiteratorem descripsit Philo, quando Nili in sanguinem descripsit commutationem, addiditque: *Idem in stagnis, fossis, puteis, fontibus, & omnibus Aegyptijs aquis euenit, ut, deficiente aqua potabili, ripas nemo peteret: & nouas venas aperiretibus, pro limpido liquore, sanguis emicaret, tanquam è vulnere. Piscium quoq. genera extincta sunt, cuncta vitali facultate versa in pestiferam; ut fœtore complerentur omnia, putrescentibus simul tot corporibus. Hominum quoq. siti enectorum magnus numerus jacebat in trinijs; non sufficientibus domesticis ad sepultura officia.* Itaque plagæ huius grauitatem, sanguis ipse significauit, & tam densa funera, ut deessent vespillones, aut, qui cadauera sepelirent.

Sensit hunc ictum Pharaon, non sensit causam, non agnouit iram Numinis. In duritie perstitit. Iustè agis cum injusto, ô Dvs. *Auferuntur iudicia tua à facie eius.* Hinc impatientia, querelæ, furor, atque ex ipsa medicina morbi incrementum. Fuère tamen vel istius quoque plagæ per aquas illatæ causæ æquissimæ, & iustitia cum Deo fecit. 1. *Quoniam, ut ait Philo, Aegyptij, præ cæteris rebus, honorabant aquam, tanquam rerum omnium primam, & principium; idcirco Deus eam primo ad castigandos, plectendosq. noxios adhibuit.* 2. *Quoniam Aegyptij varias execrandæ impietatis cærimonias in Nilo, celebrare consueuerant, ut ibi Apim colerent, & adorarent crocodilos, cum Deo igitur aquæ stare debebant, contra Deum adhibitæ.* 3. *Quoniam Aegyptij Nilo ipsi, ob aliarum aquarum penuriam, & plurima huius fluminis commoda, diuinos honores sacrilegè tribuerunt. Hanc causam indicans*

Theo-

V.

Iob. 6.

Phil. lib. 1. de vita Moyfis.

VI.

Psal. 94.

De hoc cultu Solin. c. 35. & Plin. lib. 8. cap. 46.

Theo-

Theodoret.
q. 19. in Exod.

Sapient. 11. 17.

S. Augustin
in tractat. de
conuenient.
plag. 10. & 10.
præceptorū.
Apoç. 16.

Theodoretus ait: *Cur primam aqua plagam intulit Deus? quia valde gloriabantur Aegyptij de flumine suo, & hoc, pro Deo habebant: ut, qui parem usum illis praberet, atque nubes cali.* 4. Quoniam Aegyptij Hebraeorum infantes inclementer in Nilum projecerunt; ut ergo sceleri pœna responderet, Nilum sibi experti sunt iracundum. *Nā per qua peccat quis, per hac & torquetur.* Quare loc. cit. scribit Theodoretus, accidisse hanc plagam etiam propter pueros *Iudaorum* in Nilum demersos: *fluuus enim ille mutatus in sanguinem, velut conque- rebatur de cade puerorum, per Aegyptios commissis.* Quam causam & S. Augustinus indicat. Pœnæ huius æquitas, & illius, quæ à Ioanne est prædicta, iisdem possunt verbis intelligi, quibus vsus est tertius Angelus, qui effudit phialam iræ Dei super flumina, & super fontes aquarum, & factis sanguine, dixit: *Iustus es, Domine, qui es, & qui eras, qui hoc iudicasti: quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere, digni enim sunt.* Non mirum est igitur, si & alij, per eandem res puniantur, quibus Deum offenderunt; atque inde maxima detrimenta capiant, vnde vilitatem inhonestam, & illicitam voluptatem perceperunt. Sauciantur, fundunt sanguinem, fundunt vitam; non querantur, cum & ipsi causa fuerint, ut ab alijs quoque sanguis & vita funderetur; discant itaque dicere: *Iustus es, Domine, qui es, & qui eras, qui hoc iudicasti.*

VII.
Ioseph. lib. 1.
Antiquit.

Et vide mihi iustitiam diuinam, in aquis Aegypti, relucen- tem. Eadem site puteana, siue fluuialis aqua, quæ malis fuit mala, bonis bona extitit. *Amnis, inquit Iosephus, sanguineis fluentis pre- habens, ad potus inopiam eos redegit; cum, præter aquam fluminis, nul- lum fontem habeant. Nec coloris tantum id erat vitium: sed, si qui siti coactus gustaret, confestim acri dolore corripiebatur. Erat q̄, talis a- qua solis Aegyptijs; Hebraeis verò dulcis, potabilis, & omnino pristinam naturam retinens.* Quod planè erat ingens miraculum. Eodem tem- pore, eodem loco hauriebant Aegyptij & Hebræi: quod illis atri coloris cruor, hoc istis limpida aqua fuit. Intelligite hinc, pecca- tores, si sic elementa dijudicant, quid facturus sit Dominus ele- mentorum.

VIII.
S. Hieronym.
in Isa. cap. 2.

Simile iudicium, & in alijs aquis, factum legimus. *Siloam- fontem esse, ad radices montis Sion, ait S. Hieronymus, qui non iugibus aquis,*

aquis, sed in certis horis diei ebulliat, & per terrarum concaua ad antra saxi durissimi, cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus, nos praesertim, qui in hac habitamus prouincia. Huius fontis ortum & nomen Epiphanius prodit iniquens: *Fontem Deus Siloam causa* (& precibus Isaie) *Propheta effecit: quoniam priusquam moreretur, p[ro]sillu[m] precatus est, uti undas illinc erumpere dignaretur. Et confestim dimisit illi calitus aquam uinentem. Vnde sortitus est locus ille appellationem Siloam; quod, si quis interpretetur, sonat demissum. Sub Ezechia quoque rege, ante, quam stagna piscinasque fabricasset, precibus Isaie effectum, ut exigua lymphascaturiret, quod populus in obsidione hostium teneretur, ne ipsa periret undis destituta ciuitas. Milites igitur perscrutabantur undique, ubinam sedare sitim daretur, ignorabant enim. Vrbe quippe iam potiti, obsidebant siluam. Quandoque, itaque, indigentes Iudaei aquatum venerant, scaturiebat eis unda, & aquabant: exterarum vero nationum homines reperire nesciebant. Latex namque, aufugiebat. Eoque, usque, in hodiernum diem eructatur clanculum, quo significetur mysterium. Ceterum, quandoquidem Isaie Propheta istud acceptum referunt, in perennem eius rei memoriam, populus accurate Prophetam isti solo, cum gloria & honore reddidit; ut per eius intercessionem, in consummationem usque, saeculi, aqua huiusmodi fructus impetraretur, cui scilicet usum referebat acceptum. Huic fonti Siloae haud valde dissimilem videri, ait Baronius, fontem illum, seu fluuium, item in Palaestina Sabbaticum dictum, a Iosepho sic descriptum. *Conspicit, in itinere, (Vespasianus Imp.) fluuium cognitione dignissimum. Is fluit medius inter Arcas & Raphaneas Agrippae regni ciuitates. Habet autem quoddam peculiare miraculum. Nam, cum sit, quando fluit, plurimus, neque, meatu segnis; tamen, interpositis sex diebus, a fontibus deficiens, ficcum exhibet locum. Deinde, quasi nulla mutatione facta, septimo die similis exoritur: atque hunc ordinem eum semper seruare, pro certo compertum est. Vnde etiam Sabbaticus appellatus est, a sacro septimo Iudaorum die sic appellatus.**

S. Epiphanius de vita & interitu Prophetarum, cap. 7.

Cæs. Baronius An. 33.

Iosephus de bell. Iud. lib. 7. cap. 24.

Quemadmodum Sabbaticus hic fons Iudaeos docuit, Sab-
bata seruare, atque laboris cursum cohibere, ut Deo vacarent;
ita ille prior Siloae dictus monstrauit, homines esse in causa, ut
nonnunquam diuinæ beneficentiæ fontes exsiccantur. Nam et si
Pater caelestis pluit super iustos & iniustos, ut doceat nos inimicis

IX.

Matth. 5. 45.

N beneficia

- benefacere; & diligere eos, qui nos persequuntur, quod vt S. Hieronymus ait, *fecit Dauid in Saul & Absalom: Stephanus quoque pro lapidantibus deprecatus est, & Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus*; sæpe tamen etiam delinquentibus necessaria subducit, vt ex inopiâ sapere incipiant, quos fecit abundantia recalcitrare. Quin etiam potentiam suam, ac dominium in creaturas manifestat. Nam *si continuerit aquas, omnia siccabuntur: & si emisit eas, subuertent terram*. Hic est gladius ille anceps, & vtrinque acutus, quo potest inimicos ferire, siue neget aquas, siue cumulet. Negat, vt oremus; cumulat, vt videamus, nos aliquid orando impetravisse. Sic instruimur, auerti à nobis creaturas, quando nos auertimur à Creatore; & fugere poenam, si nos ad Iudicis clementiam confugiamus. *Quando non genucationibus & ieiunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ?* ait Tertullianus. Et Philo scribit, de prima Aegyptiorum plaga: *Per septem dies, hoc malum duravit, donec Aegyptijs suppliciter Moysen innocantibus, & illo deprecante, Deus miseratus est percuntium. Is enim, cuius infinita bonitas semper est exorabilis, mutauit sanguinem in aquam dulcem, redditis amni fluentis salubribus, qualia prius fuerunt*. Igitur discrimen, inter suos, & idolorum cultores, patefecit Dominus, quando Israëlitis aquam dulcem, Aegyptijs sanguinem propinauit; & plectendo hostem pepulit ad orationem, cuius vim declarauit, dum Aegyptijs Moysen, & Moysi Deum orantibus redonauit aquarum vsum.
- X.
- Maximè verò sæpè in aquis, velut in speculo, reluxit bonorum malorumque, tanquam pulchrorum ac deformium discrimen. *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium. sic corda hominum manifesta sunt prudentibus*. Ad ripam stans Minerua, atque imaginem suam, inflatis buccis tumidam, cernens, tibiam abiecit.
- Virgil. Eclog. 2. *Nec sum adeò informis, nuper me in littore vidi*, ait Corydon. Et, apud alium Poetam, ita se ipsum, canit Polyphemus.
- Cuid. lib. 13. Metamorph. *Certè ego me noui, liquidaque in imagine vidi
Nuper aquæ, placuitque mihi mea forma videnti.*
- Idem lib. 3. Metamorph. *Nimis longa fabula, quamuis elegans est Narcissi, se ipsum, in aqua licet exitiosè contemplati. Aegyptij sanè poterant suam, in sanguineo flumine, deformitatem agnoscere, atque Israëlitarum intueri innocentiam easdem limpidas haurientium. Quos tamen & ipsos*
- Exod. 15. 19.

& ipsos aquæ probauerunt. Idcirco enim ait Dominus: *Probauit te apud aquam contradictionis; cum aqua deesset, è silice, euocanda.* Et, alio tempore, *Dixit Dominus ad Gedeon: Adhuc multus populus est, duc eos ad aquas, & ibi probato illos: & de quo dixerò tibi, ut tecum vadat, ipse pergat; quem ire prohibuero, reuertatur.* Cùmq; descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: *Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum: qui autem curuatis genibus biberint, in altera parte erunt.* Fuit itaq; numerus eorum, qui manu ad os proyiciente lambuerant aquas, trecenti viri: omnis autè reliqua multitudo flexo poplite biberat. Et ait Dominus ad Gedeon: *In trecentis viris, qui lambuerant aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian.* Omnis autem reliqua multitudo reuertatur in locum suum. Cur autem illos, & non hos elegerit ad pugnandum Deus, non solum causa erat, quòd illorum minor fuerit numerus, sed etiam, quia fortior. Siquidem stando lambere aquas, manu ad os projectas, indicium est, hominem non admodum fatigatum aliò festinare; pronum autem ac iacentem sorbere aquas, exhaustarum virium, aut pigriritæ signum esse solet; adde & intemperantiæ; nimis enim auidi est rebus cupitis iniare. Legimus tale itidem iudicium indiciumque miraculo datum, apud Sigibertum. Nam Gallis atque Hispanis de celebratione Paschæ inter se contendentibus, quòd Hispani, die 21. Martij, Galli verò 18. Aprilis, illud celebrassent; prodigio luculento detexit Deus, Gallos rectè celebrasse. Siquidem fontes, qui in Hispania, Sabbato sancto, ad baptizandum sponte diuinitus repleti còsueuerant, An. Christi 573. non in Hispanorum, sed in Francorum Paschate repleti sunt: tanta est abundantia veritatis, vt etiam in aquis scripta perseueret. Cum his veritas facit, aquæ cum veracibus.

Eiuscemodi quidem & alia per aquam iudicia complura à varijs memorantur; sed afflictà fide, qualis solet esse Græca. Vnum apponam. *Est iuxta Tyana, aqua (ait Philostratus,) Ioui (vt perhibent) sacrata, quam indigena inextinguibilem vocant. Fons eius frigidus sane scaturit. ebullit autem non secus atq; igne calefactus lebes. Hanc puris & iuramenti fidem seruantibus viris aspectu placidam, & gustu dulcem esse perhibent; perjuris verò, & insidis palam aduersatur. Epotam namq; oculos pedesq; ac manus peisrantis inuadit; pustulis ac vomicis*

Pfalm. 80. 8.

Exod. 17. 5.

Iud. 7. 4.

JIX

Sigibert.

An. 573.

XI.

Philostrat.
lib. 1. de vit.
Apollonij
Thyaneij. 64.

totum corpus inquinans. Neq; illinc discedendi facultas datur; sed ibidem permanentes, coram aqua ipsa, suam deplorant calamitatem, palam, quod peccarant, profitentes. Alij vaticidici fontes, è pluribus alijs scriptoribus, afferuntur, sed vel fabulosi sunt, vt dixi, vel superstitiosi. Tamen enim negari non potest, quibusdam aquis, supra naturæ indolem ac potestatem, ad impios plectendos, vel à DEO inditam vim prodigiosam, vel à Sanctis extraordinariam virtutem impetratam; simium tamen DEI agere conatur vbiq; diabolus; qui in mancipijs suis superbiam amans, non modestiæ & humilitatis virtutem, sed miraculorum splendorem, quo Sancti claruerunt, æmulatur.

XII.

Ex Gratiano
2. q. 5. c. Con-
suluiti. Al-
fens. Ciaccò.
de gestis Ste-
phani V.

Qua de causa, An. DCCCL. XXXV. Stephanus V. Pontifex Romanus Humberto Moguntino Episcopo respondit in hunc modum. *Consuluiti de infantibus, qui in vno lecto dormientes, cum parentibus, mortui reperiuntur, vtrum ferro candenti, aut aqua feruente, aut alio examine huiusmodi parentes se purificare debeant, eos non oppressisse. Monendi sunt namq;, & protestandi parentes, ne tam tenellos secum in lecto collocent, ne negligentia qualibet proueniente suffocentur, vel opprimantur, vnde ipsi homicidij rei inueniantur. Nam ferri candentis, vel AQVÆ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censent. Canones. Et quod, SS. Patrum documento, sancitum non est, superstitiosa adinventione non est presumendum. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore commissa sunt regimini nostro iudicare. Occulta verò & incognita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum.*

XIII.

Hæc diligenter obseruanda sunt ijs, qui vel naturæ ignorant vires, vel miracula ambiunt, vel DEVM tentare non verentur. Fateor, apud antiquos exempla reperiri. Sed ea si lex non damnat, sola vel simplicitas sancta, vel diuina inspiratio; vel hominum piorum alma fides, ac religio miraculis digna excusat. Vt enim laminis cædentibus, quibus inambulauit S. Kunegundis, Henrico suam virginitatem probatam fecit; ita alij feruentibus aquis illæsi Fidei integritatem testati sunt, exemplo mirando, non imitando, qualia paulo infra referam. Quocirca non boni æmulatores fuerunt, qui rei superstitiosæ, sanctissimarum, in speciem formularum colorem induxe-

induxerunt; vt tantò plures falleret vanitas inaurata. Nam hac in probatione, aqua, apud Francos, his verbis consecratur. *Deus iudex justus, fortis, & patiens, qui es auctor & amator justitie, qui iudicas aequitatem: iudica, Domine, quod justum est, quia recta tua iudicia sunt, qui respicis super terram, & facis eam tremere. Tu, Domine, omnipotens, qui per aduentum Filij tui, Domini nostri Iesu Christi mundum saluasti: & per eius Passionem, genus humanum redemisti: Tu hanc aquam, per ignem feruentem sanctifica, qui tres pueros, id est, Sidrach, Misach, Abdenago, iussione regis Babylonis, missos in caminum ignis seruasti: Tu clementissimè presta, vt, si quis innocens in hanc aquam feruentem manum mittat, sicut tres pueros supra dictos, de camino ignis eripisti, & Susannam de falso crimine liberaisti, ita, Domine, manum illius saluam & illesam perducas. At si quis culpabilis, vel, in crassante diabolo, cor induratum, presumpserit manum mittere: tua iustissima pietas hoc declarare dignetur, vt in eius corpore, tua virtute, manifestetur, & anima illius, per penitentiam, saluetur.* Plures eiusmodi formulas ac orationes exhibet Martinus Delrio. Constat etiam, hanc, per feruentem aquam, aut lapilli ex ea extractionem, fieri solitam purgationem, receptam legibus Longobardorum, Saxonum, Frisiorum, & Rhenanorum. In lege Lombard. *Si cuiuslibet hominem interfecerit, iudicio aquae feruentis examinetur, utrum hoc sponte, an se defendendo fecisset.* In legibus Frisonum hæc habentur: *Si res grandis erit, seruū ad iudicium Dei, in aqua feruente examinat.* Item. *Et, ad examinationem feruentis aquae iudicio Dei probandus accedat.* Item. *Et se per sacramentum iudicio Dei examinandum, feruente aqua, innocentem ostendat.* Denique, in formula pacis Allatiæ habentur ista: *Plebeius autem, & minoris testimonij rusticus, aqua frigida se expurget iudicio.* Et audimus subinde, pertinaci traditione, ad hoc, vel illud aquæ iudicium seruos, & ancillas, aliàsque nonnullas mulierculas, præfanè fidenter, prouocare: gnaras scilicet, id non permissum iri; alioqui vtique non prouocaturas; sed nec permittendas, vt velint, culpæ, aut innocentia veritatem, fortuito aquæ aut ignis euentu decidendam permittere.

Et enim r. ipso nomine damnantur temerariæ eiusmodi disquisitiones. Vocantur enim *Purgationes vulgares*, quia nullo legitimo vsu, sed vulgi quadam duntaxat vsurpatione, & obseruatione superstitio-

Aucatin. l. 4.

Martin. Delrio 4. lib. Disquisit. 4. q. 4. sect. 4.

Lombard. l. 2. tit. 10. Hottoman. de Feud. c. 44. Sax. li. 1. art. 39. Leges Frison. tit. 3. & tit. 14. c. nobilis 2. q. 4. B. Rhean. l. 2. Germ. rer.

XIV.

In leg. Long.
lib. 2. tit. 54.
Carol. Mag.
in capitula-
rib. lib. vi.
e. sententiam
sang. ne cle-
ric. &c.

Num. 5. 14.

S. Hieronym.

in 1. Reg. 16.

perfitiosa sunt introducta. 2. Quia eiusmodi judiciarijs modis DEVS tentatur potius, quam eius exploretur voluntas. 3. Quia temeritas est, perere, vt DEVS miraculum faciat, ad innocentiam nostram manifestandam, si non DEVS ipse id suggerat. 4. Quia hanc consuetudinem ridet Fridericus Imp. II. quam etiam iam prius vetuerat Lotharius Imp. in legibus Longobardorum, & illo antiquior Carolus magnus. 5. Quia, præter supra dictum Stephanum Pontificem, etiam alius Pontifex, apud Gratianum, & Lucium morem istum damnauit; *iudicia peregrina & inibita* (sacris scilicet canonibus) ea vocans. Innocentius III. certè sanxit in Conc. Generali, ne vllus Clericus purgationi aquæ feruentis, aut frigide, seu ferri candentis, ritum cuiuslibet benedictionis, aut consecrationis impendat. 6. Quia non tam verba huic ritui adhibita, quæ pleraque pia erant, quam res ipsa prohibebatur, quæ non erat tantum tentatio DEI, sed etiam miraculi Iudaici imitatio: quæ irrepsit ad similitudinem poculi Zelotypiæ, quod Moyfès, apud Iudæos, DEO auctore, verbis amaricantibus miscuit. S. Hieronymus ait, Hebræos tradere, *quod coram Domino, in eandem aquam maledicta congesta sint: & sicut in lege mulier Zelotypa, hausta aqua, probatur, ita & idololatra hac aqua probari sint. Hi videlicet, qui se idola coluisse penitus denegabant. Tradunt etiam, quod quicumq; idololatra hanc aquam gustasset, labia eius ita sibi adharerent, vt nequaquam ea ab inuicem idololatra separare posset.* Quæ traditio si vera est, DEO iubente, id à Moyse factum est. At solus DEVS occulta cordis nouit & indicat; solus DEVS nequit, cum secreta cordium aperit indicatque, mentiri. Quia igitur veritatem sic se indicaturum spondit Moyfès, merito fides ei adhibita est, & licitè potuit modus ille seruari. Iam verò eiusmodi promissio diuina nulli aquæ facta est; præposterè itaque iudicium aquæ seu frigidæ, seu bullienti committitur: stolidè creditur, aquam de se dignoscere reos atque innocentes. Genio non caret aqua, sed ingenio & iudicio.

XV.

Car Sigon.
lib. 5. regni

Duo hîc video, quæ, clypei modo, possunt obtendi. Primum contingere sæpe miracula in eiusmodi iudicijs, quæ etiam non Sancti instituerunt. Deinde ipsos etiam Sanctos talia iudicia vsurpauisse. Vtriusque exempla præsto sunt. Primi, apud Sigonium, & Aimoinum, istud: *Ludauico Germania rege, Francoforti, mortuo, Ca-*
rolus

rolus Calvus Imp. & Francia rex, properè Aquas, Coloniãq; contendit, ut Lotharingiam, qua fratris & filij eius Lotharij fuerat, occuparet. Ludovicus tres filios reliquerat. Carolomannũ, Ludovicum, & Carolum cognomine Crassum. Ex quibus Ludovicus, qui paterno funeri interfuerat, ubi patrum paterni regni fines ingressum, castra ad Rhenum possuisse audiuit, ira incensus, quod paternum regnum inuadere esset ausus. Francofordia copias mouit, atq; ad alteram Rheni ripam è regione consedit. Ibi jure primũ, deinde gratia, per legatos, petita, cum neutrum impetrasset: decem homines, cum aqua calida, totidemque cum frigida, decemq; alios cum ferro candente misit, jussos experiri iudicio, veri regnum illud conueniret, quod cum ipso pater suus Ludovicus, sacramento interposito, diuisisset. Qui, re tètata, cum detrimentum nullum cepissent, nihil tamen aqua obtinuerunt. Manum hi in aquam feruentem injecerunt partim, partim in frigidam, partim etiam ferrum candens gestantes, nihil senserunt læsionis. Omnia pro miraculo habebantur. Ut enim natura Author innocentis manum, in aqua feruenti feruabat ab aduisione innoxiam, ignis vi suspensa, sic in frigida aliquando nocentis manum vrebat. Perinde enim illi est, seu frigida vrere, seu calidam, ne vrat, impedire. Exempla talia reperiuntur; sed, vt dixi, vel excusantur sancta simplicitate, vel defenduntur pio justitiæ zelo ac tacita ipsius Numinis suggestione. Neque enim miracula Sancti tantũ perpetrant; cum miraculorum gratia, sit gratia gratis data, quæ non exigit necessariò Sanctos. Quippe multi dicent, in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo daemonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? quibus Christus respondebit: Quia nunquam noui vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem. Accedit, sæpe miracula videri, quæ miracula non sunt; sed glaucoma, & præstigiæ, ac fascinationes oculorum; aut certè miracula improprie dicta. Quo pacto Moysen imitati sunt magi Pharaonis; qui, quia idem fecisse videbantur, dicebantur & ipsi similiter fecisse. Vocauit autè Pharaon sapientes & maleficos: & fecerunt etiam ipsi, per incantationes Egyptiacas, & arcana quadam similiter. Quod diabolus facit, ad eleuanda miracula vera; ad decipiendos homines, & in errorem inducendos; ad auctoritatem magicis artibus conciliandam; sæpe etiam ad reos defendendos, & opprimendos innocentes, Siue opera illa

Italix. Aime-
in. l. 5. histor.
Francor. c. 36.

Matth. 7. 22.

Exod. 7. 11.

S. Thom. 1. p.
q. 114. a. 4.

Iob. 1.

XVI.

Matth. 24.

S. Augustin.
tract. 83. 99.
q. 79.

illa magicis artibus effecta simulata sint, siue vera; de quibus D. Thomas, *dæmones*, inquit, non possunt facere miracula proprie dicta; quia miraculum proprie dicitur, quod sit præter ordinem totius nature creata, sub quo ordine continetur omnis virtus creata. Dicitur tamen quandoq; miraculum largè, quidquid excedit humanam facultatem & considerationem. Et sic *dæmones* possunt facere miracula, faciendo scilicet ea, quæ homines mirentur, eorumq; facultatem, & cognitionem excedat. Nam & vnus homo, in quantum facit aliquid, quod est supra facultatem & cognitionem alterius hominis, ducit alium in admirationem sui operis, vt quodammodo miraculum videatur operari. Sciendum tamen est, quod, licet eiusmodi opera *dæmonum*, quæ nobis videntur miracula, ad veram miraculi rationem non pertingant: sunt tamen quandoq; res veræ; sicut magi Pharaonis, per virtutem *dæmonum*, veros serpentes & ranas fecerunt. Et quando ignis de celo cecidit, & familiam Iob, vnâ cum gregibus pecorum, vno impetu, consumpsit; & turbo domum deiciens filios eius occidit, ea fuerunt opera *sathana* non sanè phantastica, vt docet Augustinus de ciuitate Dei.

Possunt igitur vtique & *dæmones* brachium, frigido humore, contra feruentem aquam, munire, vt aqua, etsi feruida, videatur vim vrendi amittere; licet reuera non in aqua, sed in vnguento sit, quod miraculi speciem potius, quàm rem continet. Vidimus circumforaneos succis quibusdam illitas manus liquato plumbo, sine noxa, lauare. Quod mirantur, qui nesciunt virtutem vnguenti; vt & albumine oui ligna, in flammis, illæsa in stuporem dant ignorantes. His talibus artibus nouit vtique & *dæmon* homines dementare, non tamen, nisi malo fine, innocentes; pessimo autem reos defendere. Quod Deus sapientissimo consilio permittit. Verè enim ac eruditè S. Augustinus, in illa verba: *Surgent Pseudochristi & Pseudopropheta, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi*, ita scribit. Quod autem Dominus dixit, *Pseudoprophetas multa signa & prodigia facturos, ita vt fallant etiam (si fieri potest) electos*; admonet vtq;, vt intelligamus, quadam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia sancti facere non possunt: nec idèo tamen potioris loci apud Deum esse, arbitrandi sunt. Non enim acceptiores Deo, quàm populus Israel, erant magi *Egyptiorum*, quod non posset populus ille facere, quod illi magi faciebant: quam-

nis. Moyses, in virtute Dei, maiora facere potuerit. Sed ideo non omnibus Sanctis ista tribuuntur; ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes, in talibus factis maiora dona esse, quam in operibus iustitia, quibus eterna vita comparatur. Propterea Dominus prohibuit gaudere discipulos, cum ait: Nolite in hoc gaudere, quoniam spiritus vobis subijciuntur: sed in hoc gaudete, quoniam nomina vestra scripta sunt in caelis. Cum ergo talia faciunt magi, qualia nonnunquam Sancti faciunt; talia quidem visibiliter esse apparent, sed ex diverso fine, & diverso jure fiunt. Illi enim faciunt quærentes gloriam suam, hi faciunt quærentes gloriam Dei: & illi faciunt quadam potestatibus concessa in ordine suo, quasi privata commercia, vel beneficia: isti autem publica administratione, jussu eius, cui omnis creatura subiecta est. Hæc Augustinus: quæ sufficiunt ad eam quæstionem, cur etiam non Sanctis tales subinde succedant aquarum probationes? aut cur innocentibus noceant? est enim Alastor, qui illis fauet, istis nocet, quantum quidem ei à Deo permittitur. Nam neque impijs quidem plus nocere potest, quam ei concedatur; cum sit Dei lictor. Lictori autem non licet præscriptum iudicis excedere.

Luc. 10. 10.

Altera obiectio erat, ipsos etiam Sanctos tales aquarum probationes vsurpauisse. Nam memorat, S. Gangulphum martyrem, famam turpi vxoris suæ percussum, ad hoc examen, animum adiecisse. Ita enim, in vita illius, scribitur. Interim ad quendam veniunt fontem. (Gangulphus & vxor) ubi his vxorem vocibus compellat: Multa quidem de te, coniux, passim feruntur fæda & indigna natalibus tuis; & adhuc quidem mihi certò non constat, verène, an falso illa dicantur. Tum illa etiam intrepide jurans, falsos de se rumores sparsos, ait, nec se unquam alieno concubitu pollutam. At Gangulphus: diuina, inquit, providentia, quam nihil fugit, ut se res habeat, iam certis declarabit iudicijs. En fons hic propositus est, nec frigidus valde, nec immodicè calidus. In hunc igitur immitte manum, & e fundo lapillum extrahere. Et, si quidem à culpa es aliena, nihil mali patieris: sin autem pollutata es, non sine Deo latere scelus tuum. Illa B. viri, sicut alios omnes, ita hos quoque sermones vecordie, ascribens incunctanter manum iniecit in fontem. Ecce autem simul atque lapillum secum retrahere conata est, membris ferè omnibus obrigescit, & in digitis, & brachio, quousque aqua pertigit, abstracta cute, nuda caro cernitur; nihilque aliud misera illa, nisi repenti-

XVII.

Surius JJ.
Maij.

penitulum interitum expectat. Quid inde boni euenit Gangulpho, in tractatu de Matrimonijs, dicemus. Hinc sanè constat, aquam etiam temperatam, vim comburendi diuinitus accepisse; & virum sanctum, ab hoc genere probationis non abhorruisse, vxoremque eius ad aquæ tribunal secutam, *condictitia actione* damnatam. Et nemo utique hic calumniæ causa litem intendet, vt rem dicat, malis artibus procuratam. Impius sit, qui de sancto talia suspicatur. Quid ergo? num omnibus licebit, quod licuit Sanctis? nequam. Scribuntur illorum vitæ, vt eorum virtutes, non vt miracula imitemur. Contrarium faciunt pueri: mores illorum fugiunt, honores ambiunt. Hinc amulos vitæ paucos, plurimos habent dignitatis. At vera dignitas in vitæ integritate consistit, non in iactantia miraculorum. Quamuis & miraculis nonnullos Deus ornet; sed ornat, quos vult, & cum causas habet, fidei miraculis conciliandi auctoritatem.

XVIII.

S. Gregor.
Tur. lib. 1. de
glor. Martyr
cap. 81.

Qualem habuit, Diacono Catholico, cum Presbytero Ariano disputate, & ad fidei veritatem comprobendam, apud S. Gregorium Turonensem, sic prouocante: *Factis rei veritas approbetur, succendatur igni aeneus, & in feruente aqua annulus alicuius proyiciatur, qui verò eum sustulerit ex vnda feruente; ille iustitiam consequi comprobetur.* Feruentior fuit huic animus, quam constantior; & fortasse scopus etiam melior, quam modus actionis. Hinc, ne fides succumberet, miraculo Deus censuit mentem nutantis corrigendam. Acceperat enim conditionem hæreticus. Sed Diaconus, ob præcipitatam subito impetu sententiam, diffidentia tectus, nescio quibus vnguentis brachium manumque illeuit. Steterant iam vtrinque, ad iudicium experiendum, accincti athletæ; cum hæreticus metu pallidus repente periculum subire detrectat: Catholicus verò brachium exferit, sed vnguentis delibutum. Quod vbi vidit alter, magnis vocibus, exclamauit: *Aduersarium magicis artibus, non Fidei, considerare. dolum subesse. conditionem cadere.* Oritur altercatio: & ferè etiam scandalum. Nam & Catholici, qui confluxerant, dicebant, sibi id genus disputandi non placere; nec miracula artibus simulanda. Ita temeraria prouocatio propemodum in periculum maximum adduxisset religionis auctoritatem. Tempus ergo fuit, vt DEVS malè coepta, bene finiret, ac fortiozem huic certa-

mini athletam succenturiaret. His itaque litigantibus superuenit
 Diaconus alius ab urbe Rauenna, Hyacinthus nomine, scitansque, qua
 esset hoc altercatio; ut veritatem cognouit, nec moratus, extracto è vesti-
 menti brachio, in aneum dexteram mergit. Annulus autem, qui iniectus
 fuerat, erat valde leuis ac parvulus, nec minus ferebatur ab unda, quam
 vento ferri posset vel palea. Quem diu multumque, quæsitum, infra vnius
 hora spacium reperit. Accendebatur interea vehementer focus ille, sub
 dolio, quò validius feruens non facile posset assequi annulus a manu qua-
 rentis; extractusque tandem. Nil diaconus sensit in carne sua: sed potius
 protestatur, in imo esse frigidum aneum; in summitate verò calorem et-
 poris modici continentem. Quod ceruens hæreticus valde confusus inicit
 manum audax in aneo, dicens: Prestabit mihi hoc fides mea. Iniecta ma-
 nu protinus, usque ad osium internodia, omnis caro liquefacta defluxit, &
 sic altercatio finem accepit. Facta hæc, nemo inficiatur: & facta, in-
 genti miraculo, agnoscimus libenter; ut in eadem aqua religio ve-
 ra incolumis esset, falsa autem damnaretur. Sed num imitanda,
 nequaquam. Non omne tempus, nec omnis locus, est tempus, aut
 locus miraculorum. Neque Deus ad prodigia alligatur; potest fi-
 dem alijs quoque rebus astruere; immo, iustissimè miracula negat,
 ubi sunt, qui ea intempestiuè exigunt. Vnde, dicentibus Scribis &
 Phariseis, *Magister, volumus à te signum videre*, respondit: *Gene-*
ratio mala & adultera signum quarit: & signum non dabitur ei, nisi
signum Iona Propheta. Et Herodes, viso IESU, gavisus est valde. *Erat*
enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de
eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem
eum multis sermonibus. At ipse nihil ei respondebat.

Math. 12. 38.

Luc. 23. 8.

Discunt hinc miraculorum intempestiuè scitiores, DEVM
 prodigia exhibere, quando ipse vult, non quando ipsi. Patrata
 sunt, ea quidem, per diuini spiritus viros, sed DEI IUSSU, non libitu
 curiosorum; atque ad veritatem, non ad vanitatem stabiliendam.
 Multa, in Sanctis suis, mirari nos vult DEVS, non imitari. Quare
 mirari satis non queo quorundam hominum iudicia, qui, cum à
 Sanctorum vita procul recedant, tamen eorum miracula non ve-
 rentur affectare. Monstri simile est, Pontificiam prohibitionem,
 apud vulgus indoctum valuisse, & tamen viros, qui sibi videntur
 prudentes ac eruditi, adhuc istam aquarum probationem non so-
 lum de-

XIX.

lūm defendere, sed etiam ad maleficas deprehendendas adhibere. Licitū esse mordicus contendit Arnoldus Scribonius Philosophus Marpurgensis. Sed hic hæreticus fuit. Magis miror, à Catholico calamo eandem fuisse sententiam propugnata. Longè autem maximè stupeo, quod inter plurimos, sermone quotidiano, pro certo habetur, & ante hæc, in multis Germaniæ urbibus ac locis, maximèque Westphaliæ circulo, fuit vsitatum, in exploratione maleficarum, quas suspectas eduxerunt ad fluuium, aut lacum, atq; in aquam ita coniecerunt, vt dextra manus sinistro pedi, sinistra verò dextro esset obligata. Si supernatabat, quasi ouum inane, venefica putabatur; sin mergeretur, innocens existimata est. Quo in genere probationis multa sunt delicta. Nec enim sacri canones duntaxat eo violantur; sed ipsa etiam iustitia & natura. Si enim aquæ iustè iudicium ferrent, veneficos mergere, non innocentes, deberent. Deinde huius farinae homines in rogam, non in fluuium; in flammam, non in vndas sunt conijciendi. Et quæ natura aquæ vim dedit veneficas portandi, ne mergantur? An quia plerumque sunt feminæ leuiorè? Sed ea leuitas illas non attollit, quia est leuitas morum, non membrorum. Aut quia aquæ, suapte natura, malis parcent, & sauiunt in innocentes? quis illis dicit, hos malos, illos esse innoxios? & si scirent, quàm iniquæ essent, si bonis malè, malis bene suâ naturâ facerent? Scio esse, qui dicant, dæmonem in sagas intrare, illasque sua naturali leuitate sustentare. Atqui hæc dæmonum leuitas à Philosophia exploditur. Præterquam, quòd, si hac leuitate spiritus illi præditi essent, Gerasenorum sues natæ, non mergi debuissent, quod non est factum, quando *exierunt dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos: & impetu abijt grex per præceps in stagnum, & suffocatus est.* Peccant igitur iudices, qui Pontificiæ prohibitionis gnari, tam friuola aquæ probatione vtuntur; quique hac ratione DEVM tentant, quod est delictum religioni, & primo Decalogi præcepto aduersum; neque pro miraculo, sed, pro pacto magico habendum.

Luc. 8. 33.

Vide Martin.
Delrium. l. 4.
disquis. cap. 4.
q. 5.

XX.

Rarum ais esse hoc peccati genus? quid si est frequentissimum, quid si quotidianum? quid si inolitum vbique, etiam apud priuatos? nec iam in aqua tantum, sed etiam in vino, lacte, cereuisia; pane, ossa, & omni cibo, omni potu, seruis, ancillis & ancillario-

lario-

lariolis, vopificibus, & artificibus perquam vsitatum. Quoties enim, inter prandendum & coenandum, audiuntur, eiusmodi probationes & purgationes vulgares? Si hoc, vel illud non est verum, hac me aqua suffocet? hic mihi haustus sit ultimus? hoc vinum vertatur in venenum? hoc lacte peream? hac cerevisia fiam ceritus? hoc pane stranguer? & similia sexcenta? Nonne hæc est purgatio consuetissima? & satis vulgaris, quia satis vulgata? Nonne hoc est, tentare DEVM? nonne hoc, miraculum petere? Quod quidem etiam non rarò sequitur, ad tales imprecationes: non ut à DEO approbentur, sed ut audacissima mortalium temeritas puniatur, in exemplum aliorum, qui monentur, ut caueant seopulum, in quem vident alios impigisse. Caueant ergo sibi malè conscij innocentie suæ testimonium, à miraculis petere, caueant sibi ipsis poenam statuere, quæ dilata facit nocentiores, illata misericordiam non meretur. Itaq; si existimant, se exempla habere Sanctorum, non aliter eos, quam equum asinus, in fabulis, imitantur. Vnà iter faciebant equus & asinus, ille sale, iste spongijs onustus. Procubuit in vadoso flumine equus, & sale liquefacto, se feliciter exoneravit. Quod vbi asinus vidit, procubuit & ipse; sed, spongijs aqua repletis, onus longè maius ferre coactus est; sensitq; vel hinc se asinum esse, ut qui non sciuerit eadem, alijs aliter dispositis, non eodem modo succedere.

C A P V T IX.

Non posse ab hominibus Deum aquis punientem accusari, cum aquis ipsi & alios, & se ipsos plectant.

SI laudabilis est iustitia, laudem merentur etiam iustitie instrumenta. At verò, teste Pythagoræo Theage, & inter Deos magnam vim habet, & inter homines iustitia. Totius enim atq; vniuersi, tum inter hos, tum inter illos, cõmunionem hac virtus continet. Ac Themis quidem, apud superos: Dicitur autem, apud inferos: Lex verò inter homines, nuncupatur. Huius ergo virtutis, siue cum vicia & virtutes inter se discernuntur, siue cum homines prohi defendendi improbique plectendi sunt, instrumentum aptissimum esse, docuimus, aquas. His mundi Moderator oues suas reficit, quarum vna ait: *Super aquam refectiois educavit me. his hædos*

I. Theag. lib. de virtute.

Psal. 22. 2.